

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Friedrich Roos


**Excvsrsvs Ad Horatii Carm. I, I, v. 7 - 15. : Invitationi Ad Paedagogii Academici
Solemnia D. Et Aprilis MDCCCLXXXIII. Celebranda Praemissvs**

Gissae: Ex Officina Braun, [1783?]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn875724426>

Druck Freier  Zugang





K.P - 395 (4).
K.P - 395 (4.)



EXCVRSVS
AD
H O R A T I I

CARM. I, 1, v. 7 - 15.

T S

INVITATIONI
AD
PAEDAGOGII ACADEMICI SOLEMNIA

D. ET APRILIS MDCCCLXXXIII.

CELEBRANDA
PRAEMISSVS

A
M. IO. FRIDER. ROOS
PAEDAGOGII GISS. COLLEGA.


G I S S A E
EX OFFICINA BRAVNIANA.

[http://purl.uni-rostock.de
/rostdok/ppn875724426/phys_0006](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn875724426/phys_0006)





Quod apud Hieronymum olim legere me memini, esse
ceu commentariolum sermonem recte scriptum, recte
distinctum, id neminem eorum, qui in interpretandis
sive sacris sive profanis scriptoribus versantur, inficiari posse
arbitror. Multa enim, seu potius innumera, cum in sacro co-
dice, tum in graecis latinisque scriptoribus, loca occurrere,
quae, nisi a vulgari verborum distinctione recesseris, sensum
vel plane nullum, vel incongruum tamen absconumque exhibe-
ant, quis est, quem fugiat? Nec dubitari potest, quin cuius,
in explicandis & recensendis antiquis auctoribus occupato, re-
ceptam verborum structuram, ubi necessarium id visum fuerit,
relinquere & aliter constituere liceat, cum tirones etiam sciant,
vetustissimos codices manu exaratos ordine continuo & absque
omnibus, quibus nunc vti solemus, distinctionum signis fuisse
conscriptos. In eiusmodi locum, cuius recta explicatio a con-
structione verborum tota pendeat, cum nuper in Horatio inci-
dissem, haud alienum ab hac scribendi opportunitate videbitur,
quae tunc a me obseruata sunt, cum lectoribus harum litera-
rum




rum amantibus communicare. Exhibet autem ista, de quibus
nunc differendi erit locus, verba

Carminum L. I, 1, 3 — 15.

Sunt quo curriculo puluerem Olympicum
Conlegisse iuuat, metaque feruidis
Euitata rotis, palmaque nobilis,
Terrarum dominos uehit ad deos
Hunc si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus
Illum si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros Attalicis conditionibus
Numquam dimoueas ut trabe Cypria
Myrtorum patidus nauta fecet mare.

Difficultatem hic mouent *Hunc* & *Illum*, quae ad quodnam
Verbum referenda sint, magna inter poetac Venusini sospita-
tores agitata lis est, quaeque cum proxime praecedentibus &
consequentibus, vt quilibet lectorum, priusquam aliorum sen-
tentiae praecipuerint animum, vires ingenii in construendis il-
lis periclitari possit, data opera sine omni interpunctione ex-
scripsimus. Iam, priusquam nostra promamus & a virorum
doctissimorum dubitationibus vindicemus, iuuat exponere, qua
ratione praestantissimi Criticorum & Philologorum, qui in Ho-
ratium commentati sunt, loco huic vexatissimo succurrere sint
conati. Agmen ducat *Ianus Rutgersius*, qui in *Lectionibus*
Venusinis, editioni Horatii, Traiecti Batau. 1699. duodenis
publici iuris factae, annexis, ita hos versus typis curauit ex-
cudendos:

Sunt



5

Sunt, quos curriculo puluerem Olympicum
Collegisse iuuat, metaque fernidis
Euitata rotis, palmaque nobilis.


Terrarum dominos euehit ad Deos
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis.

Gaudentem patrio findere sarculo cet.

Sensum quidem haud plane inficetum efficere istam verborum distinctionem, nemo non videt; sed admodum vereor, ne claudicare videatur oratio, textu tali modo constituto. Nam primum quis, nisi caecutiens, non videt, hiulcam omniue venustate carentem esse verborum consecutionem, si post nobilis punctum seu maiorem distinctionem posueris? Pari modo salebrosum horridumque oritur dicendi genus, si Euehit ad Deos & Hunc, Illum, inuicem coniunxeris. Nunquam igitur mihi persuadebis bone Rutgersi, vt ab Horatio, cui ingenium, cujore rotundo loqui Musa dedit, hunc tam coactum, tam impeditum verborum ordinem esse profectum credam. Id tamen fatear necesse est, argumentum illud, cui plurimum tribuit Bentleius ad hanc constructionem impugnandam & labefactandam, & quod his verbis apud eundem legere est „Vnde datum sumis, vt qui magnam vim frumenti in horreis suis occultauerit, continuo ea de causa ad Deos immortales euehi dicatur? Haud crediderim, tam facilem tritamque fuisse ad superos viam, iniuriam facere Rutgersio, & ex male percepta eiusdem huius loci explicatione esse ortum. Ipse enim statim subiungit „Hic se Diis immortalibus parem putat, si ad quam

A 3

maxi-



maximos honores perueniat, ille, si amplissimas opes consecutus sit,,

Verum sufficient haec de Rutgerii loco huic nostro medendi conatibus, de quibus plura legere cupientem ablegamus ad Bentleium, Dacerium & praecipue Cuningamium, qui copiosissime & doctissime omnium in hoc argumento versatus est.

Iam ad alias transeamus, ex quibus primo loco sese nobis obfert Bentleius, celebratissimus ille Horatii Aesculapius, Critorum, qui vnquam vixerunt, facile princeps. Is igitur, enumeratis omnibus, quibus construi possent ista verba, modis, nullum ex iis, siue sensum atque orationis filum, siue emendati sermonis leges species, ferri posse, insigni eruditio- nis apparatu demonstrare studet, ideoque loco, quem in mendo cubare multis verborum lenociniis persuadere nobis vult, medelam criticam adhibere nullus dubitat. En verba eius, maxime hic facientia „Quid igitur fiet? Enimvero correctione locus iuuandus est, priusquam ullam inde sani coloris sententiam extuderis. Eum sic a poeta profectum esse, pro certo affirmare ausim:

*Sunt quos curriculo puluerem Olympicum
Collegisse iuuat, metaque feruidis
Euitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos Euehere ad Deos:*

Hunc si mobilium — — Illum si proprio cet."

Ingeniosa sane & tanto viro prorsus digna emendatio. Illud quoque haud facile quisquam negaverit, latine dici posse *nobilis euehere*, cum Bentleius plura Horatii aliorumque poetarum loca

loca laudauerit, in quibus idem dicendi genus occurrit, &
quorum, ut ipse ait, vel solus ille Carm. I, 12.

Hunc equis illum superare pugnis Nobilem cet.

ad hanc rem confirmandam possit sufficere. Multi tamen fuerunt Critici atque Philologi insignes, Lambertus Bos, Cuninghamius, Dacerius, Sanadonus & Jani in refutanda ista Bentleii correctione, quorum argumentis & me ipsum plane conuictum sentio. Primum enim huic emendationi codices, sive scripti, sive impressi, ad vnum omnes aduersantur, cui rei, vt bene monet elegantissimus Jani, hoc quidem in loco plus tribui debet „quod statim in scriptoris principio, quod fere memoria teneri solet, sic errasse omnes librarios, durum sit statuere” Deinde verbum euehere ob saepius repetitam literam e eiusque elisionem ob sequentem in voce *ad* vocalem durum & auribus ingratum versum reddere, quo quidem arguento teste Cuninghamio iam Lambertus Bos erat usus, quis est, quin sentiat? Denique minime necessariam & plane superfluam esse hanc viri sagacissimi coniecturam, maxime apparebit, si, quod infra fiet, demonstrauero, nulla prorsus mutatione opus esse, vt sanus, & quem ordo sermonis postulet, ex his verbis efficiatur sensus.

Hunc excipiat *Cuningamius*, acerrimus idemque doctissimus eorum, qui Bentleium castigare sunt ausi. Is in *animaduersionibus in Horatium Bentleianum* cap. XV, p. 273. sqq. fuse & erudite, vt solet, totum hunc locum persequitur, & refutatis priorum quorundam interpretum, in primis vero Bentleii, constructionibus, ita sententiam suam exponit” Omnino cum Lanbino (cuius explicatio praecedit) Hunc, Illum ad euehit non ad iuuat referri putamus, &, quod ille non obseruauit, pronomen *eos*, non *quos*, vt Cl. Bos voluit, subintelligendum”
Hunc igitur in modum hos versus distinguit vir acutissimus:

Terra-




Terrarum dominos euhit ad Deos;
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo
Quiequid de Libycis verritur areis.
Gaudentem cet.

Verum & hanc verborum structuram, vt pote minus naturalem,
& omnino, si quid intelligo, prosae orationi, quam poeticae,
propriorem, mihi a Flacco, omnis elegantiae magistro, profes-
tam non videri, ingenue fateor.

Agmen denique claudat praestantissimus inter nostrates Horatii interpres, Celeberrimus *Iani*, cuius verba subiungimus.
"Male habuit Intpp. illud *hunc* & *illum*; nulla causa, puto.
Est enim, *hunc iuuat*, hic se beatum credit, si mobilium, cet.
Sed non putabant viri docti referri posse *hunc ad iuuat*, quod
interiecta esset integra sententia, *metaque — Deos*. At ideo
non erat poeta, isque *lyricus*, ex grammaticis ac logicis
regulis emendandus. Nam licet paullo duriorem esse structu-
ram ob interpositum *euhit*, non negem; tamen cogitandum
etiam, illa, *metaque — Deos*, non esse, nisi colores, senten-
tiae primariae illuminandae adhibitos"

Ex quibus appareat, virum doctissimum, pro eo, quo pol-
let, acumine, duriusculam esse hanc constructionem, ipsum
probe vidisse. Quae cum ita sint, eius, cui minus arrideat ista
distinctio, (quod non possum non de me ipse affirmare) esse
sentio, ut aliam proferat & defendat huius loci structuram,
minori difficultate laborantem. Quid? si ita hoc versus distin-
guas:

Terra-



Terrarum dominos enehit ad Deos.
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus:
Illum, si proprio condidit horreo,
Quidquid de Libycis verritur areis:
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros: Atthalicis conditionibus
Numquam dimoneas, vt trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta fecet mare.

Quodsi hanc constructionem amplectaris, sequenti ordine procedet sermo: *Hunc, si mobilium cet. — Illum, si proprio condidit horreo cet. — Gaudentem patrios findere sarculo agros — Numquam dimoueas, vt cet.*

Atque illam ipsam constructionem, quam, Bentleio teste, *libri scripti editique omnes* exhibent, statim, puto, intelligent lectores, ceteris minus coactam & ingenio latini sermonis magis conuenientem esse. Quod quidem ipse acerrimus eiusdem exagitator, Bentleius, haud obscure concedit, dum indicatis omnibus, quibus hic locus constitui posset, modis, de hoc nostro, quem vltimo loco posuerat, haec addit. "Esto enim, postrema structura prae aliis tibi arriserit" cet. Qui igitur factum est, vt praestantissimus quisque Horatii interpres, si Daceerium & Sanadonum excipias, ab hac constructione recederet, & aliam, quantumvis violentiorem, anxie inuestigaret? Verebantur scilicet Viri doctissimi, ne ineptum quiddam atque insultum, adeoque ab Horatii ingenio longe alienum, hisce verbis, ita constructis, inesset; minime mirandum esse, affirmantes, si, qui honoribus atque diuitiis abundant, maria percurtere & in quamuis horam vitae discriben adire nollent. Atque istam obiectionem post Iulium Scaligerum, Lambinum &

B Rut-



Rutgersium vnanimi consensu & iisdem pene verhis repetierunt Viri κριτικατος, Bentleius, Cuningamius, Iani, alii; prae-
cipue vero Bentleius omnem adhibuit operam, vt lectoribus deridendam illam propinaret. Adscribam, ne difficultates eius, quam sequi me professus sum, distinctionis de industria celasse videar, verba Critici celebratissimi huc spectantia „Pro-
fecto haud stulte sapiunt, si nolunt se tot & tantis periculis sine causa exponere, neque dubio mari opes quaerere, quas domi iam affatim habent. — Metuendum credo erat, ne Pome-
peo quis vel Caesari vel Crasso persuaserit, vt relictis rebus omnibus mercaturam exercerent,“

Ingeniose, vt solet, ad haec iam Sanadonus respondit; sed quia video, esse etiamnum, qui ista comprobent & omni exceptione maiora putent, operaे pretium erit, diligentius in eam rem inquirere & circumspectare, si qua forte proferri insuper a me possint, quae ad refellendam istam Virorum Clas-
sissimorum obiectionem faciant.

Videamus primo de arguento carminis, quod quidem tam clarum ac manifestum est, vt inter omnes melioris notae interpretes de eo constet. Summam scilicet eorum, quae ly-
ricis coloribus ac imaginibus hic depinguntur, & vberius di-
sputantur, paucis hisce verbis complecti possit: Trahit sua
quemque voluptas. Inde fit, vt cuius mortalium certum quad-
dam vitae genus prae aliis arrideat, cui igitur mature fese
addicit, quodque, licet aerumnosum saepe ac molestum, tan-
quam omnium bonorum finem per totam vitam sequitur &
haud facile alio, splendidiori forsan & quaestuosa, per-
mutat. Posteriorus poeta pro ingenii copia ac vbertate, qua
nemini cum antiquiorum tum recentiorum cedit, diuerso ab
hoc

hoc dicendi genere, pedestri scilicet orationi propiore, festiuue
ita exposuit Serm. I, i, v. 15. sqq.


— — — Si quis Deus, en ego, dicat,
Iam faciam, quod vultis! Eris tu, qui modo miles,
Mercator: tu consultus modo, rusticus: hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia,
Quid statis? Nolint cet.

De sex prioribus carminis nostri versibus, utpote ad propositum meum nil pertinentibus, supersedeo dicere. Sed qui statim sequuntur, iam diligentius erunt exutiendi. Pingit Flaccus, quod quidem prorsus dubio caret, inde a v. 7 — 19. quatuor, eaque multum inter se discrepantia, hominum genera; v. scilicet 7 & 8 honorum desiderio aestuantem; v. 9 & 10 auarum praediuitem, immensa latifundia, ex quibus magnam frumenti vim colligat, possidentem; v. 11 & 12 agricolam paterna rura bobus exercentem suis, & in eo beatissimum se existimantem; v. v. denique 15 — 19 nautam, saepius quidem ventorum rabiem expertum, sed tamen ob quaestum, qui inde redeat, forsitan etiam, quod a teneris ei rei assuefset, periculosissimum hoc vitae genus in deliciis habentem. Nam, ut ait Pindarus apud Sextum Empiricum Pyrrh. hypotyp. p. 18, quem locum poetae nostro hic ante oculos fuisse, fatentur omnes,

Tερπίται καὶ τις εἰς' οὐρανὸν

Ναῖ δοξεὶς διασείχων.


Iam de tribus prioribus, qui hic in scenam prodeunt, hominibus poetam affirmare, etiam amplissimarum opum certa spe permoueri eos non posse, ut vitae ratione semel instituta decedentes nautae fiant, & nihil, a re & loco alienum, ei rei inesse,



inesset, equidem persuasum habeo. Quod ad agricolam attinet, paucis iugis contentum, per se id patet, nec est, qui negat. Idem vero num de feneratore, plurimum agrorum possidente, & de eo, cui summorum magistratum obtinendorum sit explorata spes, dici etiam possit, illud, utpote quod a vi-
ris egregie doctis in dubium vocari, supra vidimus, nunc erit inquirendum. Incipiamus ab auaro, immensam frumenti copiam proprio horreo quotannis condente. Hunc igitur Flaccus vel Attalicis conditionibus impelli utrumquam posse negat, ut spreto priori vitae genere nauigandi periculum adire velit; id vero est, adeo hunc hominem vitae consuetae amore captum esse, ut & amplissimae opes, pro conditione propositae, permouere eum nequeant, ut aliam vitae degendae rationem deli-
gat, v. c. mercator fiat & fluctibus sese committat. Periculoso-
sum quidem est, fateor, hoc vitae institutum, verum non *sine causa*, ut falso adserit Bentleius, vel *exigui lucelli causa*, ut Rutgersius, fuscipere illud iubetur, sed Attalicis conditionibus, quod idem est, ac si Croesi diuitias poeta memorasset; illas enim, perinde ac has, in proverbiū abiisse, nondum omnes. Magnum sane & efficax incitamentum, quo sine du-
bio a vita consueta se abstrahi pateretur auarus ille, nisi tot ac tanta pericula, cum quibus nauigantibus luctandum est, & quae fortassis, quod ab isto vitae genere semper fuerat alienus, re maiora sibi fingit, nimium terroris ipsi incuterent. At enim, obiicit Bentleius, quid opus est, *dubio mari opes quaerere, quas domi iam affatim habeas?* Id quidem nolle excidisset tanto viro. Nam quis quaeso est rerum humanarum tam rudis, ut nesciat, quam vera sint illa poetarum, *Semper auarus eget, &, Crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit.* Crassum certe, adfatum diuinarum iam domi haben-
tem, seu potius omnium Romanorum locupletissimum, nulla alia re, quam auri sacra fame, incitatum, periculosissimam ipsique exitia-

exitiatem contra Parthos expeditionem suscepisse, in vulgus notum est.

Satis puto dictum est ad demonstrandum, v. v. 9. & 10. faluo ac fano sensu v. v. 13. & 14. iungi posse. Superest, vt ultimo loco idem etiam de v. v. 6. 7. & 8. euincere allaboremus. Atque illud, quod primo obtutu plurimum difficultatis mouet, minus nunc habebit negotii, cum, quae de priori loco disputata sunt, maximam partem etiam ad hunc possint referri. Contineri his v. v. picturam hominis, honorum cupidi & ob id popularis aurae captatoris, inter omnes constat. Eundem gloriae & honorum illecebris adeo irretitum esse, poeta Venusinus affirmat, vt spretis & posthabitis omnibus aliis, quae magni solent facere mortales reliqui, omnem operam in eo collocet, quo dignitate super alios emineat. Cui tu, pergit Horatius, si vel Attali regnum diuitiasque praemium proposueris, numquam persuaseris, vt mutato vitae instituto mercaturam faciat. Fuit quidem, non nego, nunquam in magno honore mercatura apud Romanos, sed iterum iterumque in mentem reuocandum, Attalicae conditiones quantum valeant ad regenda & immutanda hominum studia; vt mihi quidem, qui grauius ambitione laboret, pingi non potuisse videatur. Fraudi fuit, opinor, viris doctissimis illud, *tergeminis tollere honoribus*; sed cum verba poetae, eiusque lyrici, non ad viuum omnia refecanda sint, nihil aliud equidem hic reperio, quam hominis ambitiosi doctam, qualem amare solent vates, περὶ φρεστιν, quod etiam ordo ac series totius Carminis docet. Minime igitur cum Bentleio de Pompeio aliquo, vel Caesare, vel Craffo hic cogitandum, sed de eo tantum, qui ad summos magistratus adspiret, ideoque vulgi gratiam sibi conciliare, omni opera studeat. Verum haec haec tenus — Supersunt enim alia quaedam exponenda, quae proprius ad nos spectant.



Primum commemoranda est insignis illa rerum nostrarum
commutatio, cum BENNERO, quem per quinquaginta pene annos
antistitem, omni mea laude superiorem, habuerat paedagogium
nostrum, inter coelites relato, a Serenissimo Principe, patriae
Patre Optimo, prouincia eius demandata est S. V. ROSENMÜLLERO,
Theologo per totam, quam late patet, Germaniam Clarissimo.
Cuius cum doctrinae copia & mira, qua omnes bonos complecti solet, humanitas satis superque iam innotuerint, absti-
nemus a Viri S. V. laudibus, quibus rite praedicandis impares
nos sentimus, nec tam IPSI de grauissimo & honorificentissi-
mo hoc munere, quam patriae de tanto Viro gratulamur, quo
duce & auspice certo speramus atque confidimus, fore, vt &
paedagogium nostrum maiora in dies capiat incrementa.

Reliquum deinde est, vt MAGNIFICVM RECTOREM, MAGNIFICVM
CANCELLARIVM, utriusque Reipublicae PROCERES, & quotquot
Musis nostris fauent, omni, qua decet, obseruantia rogemus,
vt splendida sua praesentia velint condecorare Lycei nostri so-
lemnia, d. XIV. & XV. Aprilis sueto more peragenda.
Instituetur primum examen publicum; deinde vero die altero
hora pomeridiana II. quidam disciplinae nostrae alumni, de-
clamatiunculas recitaturi, hoc ordine prodibunt:

E claf-



E classe I.

Henric. Ern. Elwert, Giss. *De luxu Romanorum aget.*
Frid. Theoph. Balser, Butisbacensis. *Praedicabit l'amour de la patrie.*

Io. Conr. Keller, Gissensis. *Demonstrabit Das laecherliche und ungereimte des Hochmuths.*

E classe II.

Ludov. Ern. Theoph. Schulz, Hasso - Regiomontensis.
Quaedam incitamenta virtutis, e consideratione belli deponita, exponet.

Ludov. Guiliem. Steinberger, Herchenhainensis. *Exhibebit Schilderung eines Erdbebens.*

Carol. Helfric. Theodor. Nies, Giss. *Canet Le siecle pastoral.*

Ern. Ludov. Guilielm. Nebel, Giss. *Suauissimos indecessi laboris fructus enarrabit.*

Henr. Frid. Christian. Sues, Giss. *Pinget Den moralischen Character der Roemer.*

E clas-

*E classse III.*


Carol. Ludov. *Langsdorf*, Giss. Adumbrabit *Die Sit-ten der alten Perser.*


Philipp. Henr. Io. Krach, Giss. Celebrabit *Das Lob des Soldatenstandes.*

Ludov. Guilielm. Zimmermann, Giss. Quaestionem in-stituet: *Ob die Welt immer schlimmer werde.?*



2 b. Febr. 1850





II

ssim in percensendis Taciti erroribus, si plagu-
atque laetissimus Serenissimi DVCIS regnan-
RICI Natalis id permitteret. Summo vitae
ro sunt pietatis publicae officia persoluenda, si qui-
is nostris, superiori anno pro salute Tanti Ducis
et satisfecit, ut valetudine vtatur prospera.
felicitatem non extollere modo humillimis lau-
, sed diutinam quoque porro a DEO impetrare
quidam Iuuenes, Dicent enim cras hora IV.
hoc ordine.

FREDVS IACOBVS CHRISTIANVS PRÜSSING,
ndick-Megapolitanus, Natalem DVCIS re-
is FRIDERICI indicet, Eiusdemque merita
incipe, FRIDERICO FRANCISCO, in
bus illis, quae Principem, ad imperium natum,
rie ornant, doctrinis bene et sapienter instituen-
udabit oratione germanica.

STIANVS FRIDERICVS LUDOVICVS ROENN-
, Gustrouiensis, Horatii versum Libr. I. Od. II.
mes dici pater atque Princeps; carmine latino
pretabitur.

EST VS GVSTAVVS CHRISTIANVS ZELLER,
Megapolitanus, de damno, quod rei publicae
supersticio, duce Cicerone de diuinatione Libr.
p. 72. oratione latina dicet.

NNES GODOFREDVS SIMONIS, Gustrouiensis,
onis verba; Sanctitate et religione sublata, per-
tio vitae sequitur, et magna confusio, de natura
um Libr. I. Cap. 2. oratione gallica illustrabit.

VVS ADOLPHVS FRIDERICVS HAHN, Gustroui-
de homine in sacris nasuto, seu religionis et
pieta.